

direpte¹⁾, morte ipsum²⁾ interveniente remanentibus. Ex quibus duas fiscales³⁾ detinuit episcopus Leodicensis, Calmund et Meldrada cum eorum appenditiis. Et Remnoldus comes Suessionis villam Vasleiam nuncupatam. Sed et Winemarum villam Litbeca cum ecclesia et omnibus appenditiis. Et Uda comitissa villam Warminiam cum m. 15 et suis appenditiis, et comes Reinners villam Letha cum ecclesia et suis redditibus et Scornarda similiter. Et Robertus villam Grenberga et plurimi plures quas enumerare longum est.

Interim quoniam huc usque de injuste et violenter loco sancto ablatis summatim perstrinximus, nunc redeamus ad ea, si pietati vestre audire placet, que sanctis remanserint vel que post reversionem eorum de predicto monte laborioso sudamine nostrorum patrum postmodum sunt readquisita. In pago Flandrensi id est in Rodenburg due ecclesie, additis etiam inibi aliquantis terrarum partibus fidelium postmodum devotione collatis, similiter in Baltreshanda et in Lappesscuna et in villa Velthem mans. 5, et in Menpisco in villa Canengem ecclesia una et in pago Gandense in villa Merendre mans. 5 et in Wilda m. 5 et in Vinderholt ecclesia una et inter Marta et Ekkerengem m. 16 cum ecclesia et inter Liedrengem et Singengem et Ahtine m. 10. Item in alia villa Singengem super Scaldum fluvium m. 5 cum ecclesia. Item in Guddengem m. 5 et in Sualmis villa cum ecclesiis et m. 20 et Pagengem villa cum ecclesia et m. 30 et inter Kothem et Gisensela m. 6 cum ecclesia et dimidia. Hec de plurimis prioribus⁴⁾ pauca juri sanctorum cessere, et hec sunt que clementia pii imperatoris Ottonis predictus dominus abbas Odwinus postmodum impetravit, ut supra retulimus: in pago Tornacensi villam Waterlos cum ecclesia et omnibus adjacentiis. Et in comitatu Anduuerpensi villam Buccholt cum ecclesia et redditibus, sed et precincturas et thelonea in omni regno suo nobis clementer indulgit. Huic nostre miserie et inopie accessit⁵⁾ pietas benignissimi nostri huius senioris Balduwini [scilicet⁶⁾ Barbat] et de suo proprio in pago Flandrensi in loco nuncupato Ruga contulit ducentas mensuras terre pascuis ovium congruas. Et in pago Gandensi in villa Slota m. 7 et in pago Bragbatensi villam Selleca cum ecclesia et m. 10 et in villa nostra Waterlos m. 7. Hec ergo omnia cum exactoribus nostris diligentissime perscrutantes vix m. 200 ad fratrum usus servientes quivimus computare. Ecce, domina nostra clementissima, patefecimus vobis omnia que prius apud nos fuerunt et que postmodum et que nunc. Amodo locum sanctum respicite et nostri misereamini, ut dominum nostrum Balduinum et liberos vestros et regnum

1) direpta corr. direpte. 2) ipsius? 3) l.: fiscales. 4) pr. pa. bis scripta, sed primo loco rursus deleta. 5) accesserit. 6) superscr. in ras.